

## Serie Generale 227

Nobili et sapienti militi domino Presbitero de Fonte, scientia militari quamplurimum decorato, Vitelminus Granerius, Pixis de Trofarello, Gorius de Romano, Bergundius Sacus, Alberionus Marchoaldus, Iacobus Vasconus, Villelmus de Valle et Franchinus de Castro electi voluntate credentie Montiscalerii ad sonum campane collecte ad eligendum ipsius loci pro anno proximo venturo potestatem, salutem et statum magnitudinis obtinere.

Nobilitati et providentie vestre harum serie sub compendio duximus intimandum quod in Christi nomine pro anno proximo venturo unanimiter elegimus predicti loci in potestatem, dominum et rectorem, videlicet a festo sancti Laurentii proximo venienti in antea usque ad annum proximum venturum ad quem locum pro ipsa potestaria et regimine estis venturus ad dictum festum sancti Laurentii et vobiscum ducere et habere unum bonum iudicem vestris expensis ad voluntatem consilii dicti loci iuxta formam facti capituli super hoc. Item debetis ibi tenere duos equos ad minus. Item debetis iurare super capitulis dicti loci et stare<sup>1[1]</sup> sine eo quod ponatis vel recipiatis de ipsis capitulis arbitrium generale et sine eo quod ponatis ad consilium aliquod quod sit vestre utilitatis vel alicuius de vestra familia. Eo salvo quod pro vestris negotiis vel vestri iudicis petere potestis licentiam credentie recedendi et sine licentia credentie non potestis extra locum pernoctare modo aliquo et hec omnia in pena capituli ordinata, pro hiis vero et vestro salario et vestri iudicis debetis habere libras centum et .XXX. secusiensum sive viannensum et medietatem datarum tantum et non plus et pro vestris ambaxatis quas feceritis pro comuni et voluntate consilii iuxta formam capitulorum tantum solidos .VI. per diem et noctem et die quo veneritis tantum quantum unus ambaxator Montiscalerii. Item debetis respondere istis literis et instrumento infra secundum diem post quam fuerint presentate et debetis responsonem facere in presentia testium et notarii ita quod de responsione appareat publicum instrumentum in quo contineatur de vestra voluntate expressim, videlicet si predictam potestariam<sup>2[2]</sup> recipitis pro dicto modo nec ne, alias si feceritis sit cassa et yrrita electio facta de vobis, ita quod versus comune predicti loci vel aliquem de ipso loco occasione dicte electionis auctionem sive ius non habeatis. Item non potestis nec debetis habere emendam<sup>3[3]</sup> equorum nisi mortuus vel percussus vel mangagnatus fuerit gladio in cavalcata vel exercitu facto pro comuni Montiscalerii et de destrario libras .XXV. secusiensum tantum ad plus et de runcino sive palafredo libras .VI. tantum ad plus<sup>4[4]</sup> et non potestis tenere ad periculum communis nisi tantum unum destrarium et duos runcinos sive palafredos et si minus fuerit dampnum quantitate predicta tantum debetis habere minus.

Auctum in Montecalerio ad domum fratrum minorum, in credentia ibi collecta ad sonum campane .MCCLIII., inditione .XI., die lune .XIIII. mensis iulii.

Interfuerunt testes: frater Villelmus umeliatus et Iacobus de Cario mandaerius communis.

Ego Nicholaus Puncillonus notarius sacri palacii interfuis et hanc cartulam michi iussam scripsi.

---

<sup>1[1]</sup> *A, sta(re)*, ripetuto ed espunto

<sup>2[2]</sup> *A, potestariam*, inserito con richiamo nell'interlineo

<sup>3[3]</sup> *A, emendam*, inserito prima della *completio* con richiamo marginale.

<sup>4[4]</sup> *A, et de runcino sive palafredo libras .VI. tantum ad plus*, inserito con richiamo prima della *completio*.